



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XII, Graz, *Universitätsbibliothek*, ms. 475, ff. 37va-38rb
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem duodecimam quaeritur utrum corporum superiorum et inferiorum sit una materia.

Videtur quod sic. Omnia quae conveniunt in genere, conveniunt in materia, ut dicitur V Metaphysica. Sed omnia corporalia in genere corporis conveniunt, ergo omnium corporum et rerum corporalium erit una materia.

Praeterea. Omnis distinctio est per formas et actum, sed materia secundum se considerata est in potentia, ergo in materia secundum se nulla est distinctio; ergo omnium rerum est eadem materia.

Contra. Quaecumque conveniunt in materia, sunt ad invicem transmutabilia, ut dicitur I De generatione et corruptione. Sed corpora caelestia et inferiora non sunt ad invicem transmutabilia. Ideo non conveniunt in materia.

Responsio. Dicendum quod ista quaestio supponit in corporibus caelestibus esse materiam, ideo sunt tria videnda. Primo ostenditur in caelo esse materiam. Secundo ostenditur necessario esse aliam materiam caeli et corporum inferiorum. Tertio ponuntur quaedam obiectiones contra determinata.

Primum breviter sic ostendo. Quia omne quantum quod localiter movetur est materiale, sed caelum movetur localiter, ut de se patet. In eo etiam est quantitas, ergo necessario est ibi materia. Quod autem mobile habeat materiam, probatur per Philosophum, unde ipse dicit, II Metaphysicae, oportet intelligere materiam in re mota.

Item certum est quod omnis quantitas sequitur compositum ratione materiae. Et ideo ubi est quantitas extensa, oportet ponere materiam. Nec videtur quod ipsa forma possit esse subiectum quantitatis, nisi mediante materia.

Item omnis forma simplex secundum se intelligibilis est et etiam se intelligens si sit separata, quia immunitas a materia est causa intelligibilitatis. Si igitur forma caeli sit separata a materia, oportet eam intelligibilem esse; quod falsum est; ideo ibi est materia.

Quantum ad secundum sciendum quod «Plato, et omnes alii philosophi ab Aristotele, posuerunt omnia corpora esse de natura elementorum. Unde cum quattuor elementa conveniant in materia, oportet secundum eos dicere quod omnium corporum sit una materia. Hoc autem improbat Philosophus, per motum caeli diversum a motu elementorum, quia omne quod est de natura alicuius elementi habet motum similem illi elemento, quia quae sunt eiusdem naturae, eodem modo moventur. Quia igitur motus caeli est diversus a motu cuiuslibet elementi, quia nullum elementum secundum naturam suam movetur circulariter sicut caelum, ideo oportet caelum esse alterius naturae a quattuor elementis et quia motus sequitur naturam mobilis motus, qui non habet contrarium, sequitur naturam mobilis, cui non admiscetur contrarium. Et ideo, cum motus caeli, qui est circularis, non habet contrarium et omnis generatio et corruptio fit ex contrariis, sequitur quod illud mobile, quod sequitur talis motus secundum suam naturam, sit incorruptibile. Non sit autem elementa, quia motus eorum contrarietati subicitur. Et cum generatio et corruptio sint ex contrariis, oportet quod ipsa quattuor elementa sint corruptibilia. Et quia corruptibile et incorruptibile non sunt eiusdem naturae; ideo necessario sequitur quod corpus caeleste non sit eiusdem naturae cum quattuor elementis. Ergo non oportet quod conveniant in materia caelum et elementa propter identitatem naturae. Sed supposito quod sint eiusdem naturae, caelum autem sit incorruptibile, elementa autem corruptibilia. Adhuc



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 37va-38rb
transcribed by Andrea Colli

dicendum quod alia est materia corporis caelestis et inferiorum, quod ostendo sic. Omne quod est in potentia ad aliquid et caret eo, habet in se annexam privationem. Sed si materia caeli est eadem secundum essentiam cum materia inferiorum, ipsa est in potentia ad formas elementorum. Et constat quod caret ipsis, ergo ipsa privationi subicitur. Sed illa est dispositio corruptibilis, scilicet habere formam privationi subiectam. Ergo ipsa corpora caelestia necessario essent corruptibilia; dicere ergo quod incorruptibilia habeant materiam eiusdem rationis cum corruptibilibus est dicere incorruptibilia esse corruptibilia, quod implicat contradictionem. Maior, de se evidens est, quia nihil est privatio quam carere forma ad quam secundum se est in potentia. Unde habere formam aliquam in actu et esse in potentia ad aliam est esse simul sub forma et privatione, sicut patet de materia existente sub forma aeris, quae caret forma ignis. Minor etiam declarabitur, scilicet si eadem est materia caeli cum istis inferioribus, tunc ipsa materia caeli erit in potentia ad formas inferiores, quia quando aliquid secundum se est commune ad diversa secundum se consideratum, est in potentia ad omnia illa, quibus est commune, sicut materia inferiorum formarum, quia una communis est respectu omnium illarum. Ideo est in potentia respectu cuiuslibet. Si igitur materia caeli est eadem, cum materia istorum inferiorum constat, quod ipsa communis est formae caeli et formis elementorum, ergo est in potentia ad eas. Tunc arguo nulla potentia passiva est in materia, cui non respondeat potentia activa naturalis, potens eam ad actum reducere, alias illa potentia esset frustra. Sed nulla potentia naturalis /37vb/ invenitur quae possit totaliter materiam caeli ad actum alterius formae reducere. Ergo numquam fuit in potentia ad formas inferiores. Et si non fuit in potentia, ergo non fuit eadem cum materia inferiorum cum formis talibus careat.

Ad hanc autem rationem aliqui respondent et dicunt quod materia caeli non est in potentia ad formas elementorum. Et rationem dicunt talem, quia quod materia sit in potentia ad formas aliquas, hoc est pro tanto quod totus appetitus non saciatur per formam habitam, sicut patet de materia existente sub forma aeris. Sed forma caeli totaliter sariat appetitum materiae suae, ita quod non restat iam quod sit in potentia ad aliquas formas corporum inferiorum et maxime, ut dicunt, quia forma caeli virtute contineat in se omnes formas inferiores.

Sed ista solutio nihil valet, quia potentia de se aequaliter se habet ad perfectionem et imperfectionem. Unde existens sub forma ignis iam materia non minus est in potentia ad formam ignobiliorem, scilicet formam aeris.

Et praeterea. Dato quod caelum propter suam propriam perfectionem totum appetitum materiae terminaret, tamen adhuc materia existens sub forma elementi esset in potentia ad formam caeli, et per virtutem corporis caelestis et substantiae separatae ad actum talem reduceretur. Et sic caelum esset generabile et corruptibile vel posset conquiri ipse aer, quod non possit reduci ad formam caeli, quia appetitus naturalis numquam est frustra.

Praeterea. Si materia est sua potentia, ergo amota potentia non est eadem materia. Modo sunt aliqui qui contra istam rationem arguunt et ostendunt tribus rationibus, quod materia corporum inferiorum et superiorum sit eiusdem rationis.

Primo sic. Quae plus habent de actualitate plus appropinquant ad Deum, ita scilicet quod non sunt duo entia distincta, quae aequaliter a primo distent, ergo illa quae aequaliter a primo distant,



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XII, *Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 37va-38rb*
transcribed by Andrea Colli

impossibile est ea distincta esse. Sed materia caeli et elementorum, cum utraque sit in potentia passiva, aequaliter distant a primo; ergo sunt una materia.

Secundo sic. Materia est medium inter nihil et ens actu secundum Commentatorem. Sed inter duo extrema impossibile est invenire duo media aequa distantia ab extremis. Sed constat quod utraque materia aequaliter distat ab ente actu et nihilo, quia utraque est potentia passiva. Ergo impossibile est inter ipsas invenire distinctionem, sed oportet quod sint eadem materia secundum essentiam.

Tertio sic. Materia de se quid indistinctum dicit, quia omnis distinctio fit a forma. Si ergo consideretur natura materiae caeli, cum nihil actualitatis habeat, non potest in se habere quo distinguatur ab alia materia, nisi per formas. Sed ipsae formae sunt extrinsece respectu naturae materiae. Ergo talis distinctio non est secundum essentiam materiae, sed per aliquid extrinsecum; ergo idem quod prius. Unde dicunt isti quod ipsa materia non est in potentia secundum se ad formas naturales, nisi ut subicitur contrariis. Unde cum agens non attingat immediate essentiam materiae, sed materia transmutatur ab agente, ut subicitur contrario. Cum in caelo ista materia non subiciatur contrario, non est in potentia ad formas aliquas nec poterit reduci ab agente naturali ad actum formarum inferiorum. Sed ista positio deficit in modo ponendi et in rationibus suis.

Primo quod dicit quod materia non est in potentia ad formam, nisi ratione contrarii cui subicitur; et hoc videtur falsum esse, quia secundum hoc aliquid est in potentia ad perfectionem aliquam, quod per eam perficitur. Certum est autem quod materia immediate perficitur a forma sine aliquo contrario medio. Et ideo non est in potentia ad formam per medium contrarium.

Praeterea. Commentator in *De substantia orbis* dicit quod materia substantificatur pro posse. Constat autem quod unumquodque per substantiam suam substantificatur, ergo ipsa potentia est de essentia materiae et sic secundum se est in potentia ad formam.

Praeterea. Vel oportet necessario quod sit potentia pura vel actus purus, vel compositum ex utroque. Sed constat quod nec est actus purus, nec compositum. Ergo ipsa secundum se est in potentia, sed non nisi in respectu ad formam, ideo etc. Nec valet quod ipsi dicunt quod nullum agens immediate attingat essentiam materiae. Per hoc enim posset probari quod intellectus non immediate intelligit ipsum intelligibilem, quia certum est quod intelligibile numquam attingit intellectum immediate, quia non intelligitur sine sensibus. Dico ergo quod, quamvis materia non attingatur ab agente a principio, attingitur tamen in fine transmutationis respectu ipsius esse.

Item ad hoc quod agens generet, requiritur generatio et alteratio praecedens. Quamvis ergo non attingatur materia ab agente secundum alterationem, attingitur tamen secundum generationem.

Ad rationes suas dico ad primam quod distinctio istarum materialium est in ordine ad actum. Unde quia ipsi actus non aequaliter distant a primo, nec ipsae potentiae materiae.

Praeterea. Dico quod aliter distant ipsa entia in actu a primo et aliter ipsae potentiae, /38ra/ quia entia in actu distant per formas et actus proprios, sed diversae potentiae propter diversum ordinem ad actum, qui tamen ordo nullam ponit actualitatem in materia.

Ad secundum dico quod duplex est medium inter duo extrema. Unum, quia dicitur per abnegationem utriusque extremi, quod non est alterum extremorum, ut dicimus quod pallidum est medium inter album et nigrum. Aliud est medium per aequam distantiam ab utroque extremorum,



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 37va-38rb
transcribed by Andrea Colli

sicut punctus signatum in medio lineae. Si ergo loquitur de primo medio, dico maior est falsa, quia pallidum et rubeum hoc modo sunt media inter album et nigrum. Si autem loquitur de secundo medio, sic est vera, sed nihil ad propositum, quia ens in potentia sive materia non est medium aequè distans ab ente actu et nihilo, immo a nihilo distat in infinitum. Nec potest reduci, nisi per agens infinitae potentiae. Sed per agens naturale potest reduci ens in potentia ad ens actu.

Ad tertium dico quod, cum potentia dicitur proprie ad actum et per se, distinctio eius est in ordine ad actum completive; tamen ipsa habitudo ad talem actum, quae est de essentia materiae, est intrinseca ipsae materiae, ita quod principium distinctionis inest intrinsece ipsis materiis, sed formalis et completiva distinctio est a formis.

Modo restat unum dubium, quia dictum est. Si materia eiusdem rationis est in istis inferioribus et in caelo, tunc ista corpora sunt ad invicem transmutabilia cum caelo. Ergo cum materia eiusdem rationis sit in diversis stellis et planetis, quae differunt speciem, tunc unum erit in aliud transmutabile. Posset dici quod, licet materia sit eiusdem rationis, non tamen illa materia est in potentia ad esse, sed ad ubi tantum, quod habet talis materia ex dignitate sua et formae suae. Tunc est contra illud, quod dictum est supra de angelis, ubi probatur quod non esset ibi materia, quia si esset eiusdem rationis, tunc angeli essent transmutabiles et corruptibiles. Et ideo potest dici quod totum caelum est unum corpus. Et sicut ibi est una materia in toto caelo, ita est una forma. Unde videmus quod, si homo constaret ex tota materia sua, esset unus homo incorruptibilis non obstante diversitate speciei in partibus, ita possumus dicere in caelo. Et ideo non sequitur quod materia, quae est sub una parte, sit in potentia ad aliam, quia materia non est propter partem, sed propter totum. Et si dicatur quod non est simile de homine et caelo, quia partes hominis sunt ad invicem colligatae, non autem in caelo, dicendum quod materia unitur formae secundum rationem formae et modum suum. Unde cum anima diversas operationes habeat, requirit diversa membra ad executionem earum, quod non esset, nisi essent colligatae toti corpori, quia aliter virtus animae ad membra non diffunderetur. Unde sicut ad operationem hominis requiritur debita colligatio in membris, ita ad operationem partium caeli requiritur sine colligatione distinctio ratione motus caeli. Unde cum partes aliquae motus habeant distinctos, requiritur quod ibi non sit continuatio.

Ad primum argumentum principale dicendum quod loquendo physice non sunt unum genere corpus corruptibile et incorruptibile; tamen logice loquendo bene convenit in genere.

Ad secundum patet solutio ex dictis, quia cum potentia dicatur ad actum, ex ipso est ens in potentia diversum eo quod ordinatur ad actum diversum.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum omnia quae numerantur creata in principio generis, sint simul creata et per species distincta vel sint producta secundum successionem temporis, sicut a Moysse memoratur.

Dicendum quod de productione rerum dissentit Augustinus ab aliis sanctis. Dicit enim beatus Augustinus quod in principio creationis, quae habet fieri in instanti, quaedam sunt creata simul et per species distincta, ut quattuor elementa, corpora caelestia et substantiae spirituales. Alia vero tantum in rationibus seminalibus, ut animalia, plantae et huiusmodi, quae postmodum in naturis propriis sunt



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 37va-38rb
transcribed by Andrea Colli

producta in illo opere quo post senarium illorum dierum Deus naturam prius productam administrat. Unde secundum eum non est in talibus attendendum ordo temporis, sed naturae, sicut sonus praecedit cantum natura, non tempore. Ita etiam, quamvis sint omnia simul facta, tamen illa quae prius sunt natura prius facta memorantur, sicut terra prius quam animalia, et aqua prius quam pisces, et sic de aliis. Quod competebat conditioni populi rudis quem instruebat Moyses. Decebat enim propter ruditatem eorum ut per partes divideretur et distingueretur quod simul factum fuerat. Tamen Gregorius et alii sancti ponunt ista non simul facta fuisse, sed secundum ordinem temporis, sicut a Moyse in Genesis memoratur. Et ista positio convenientior est et magis videtur consonare /38rb/ litterae, sed prima subtilior est et magis rationabilis.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis quomodo secundum expositionem Augustini, qui ponit omnia simul facta, possit salvari septennarius dierum, quia cum dies nomet tempus, si in productione rerum non fuit successio temporis, nec etiam potuit ibi esse distinctio dierum, quod tamen Scriptura plane ponit.

Dicendum quod in productione rerum in istis duobus, Augustinus ab aliis expositoribus multum videtur dissentire et ita est. Vult enim Super Genesis ad litteram, quod isti septem dies sunt unus dies, septempliciter repraesentatus quantum ad cognitionem angelicam. Unde, cum secundum eum lux proprie in spiritualibus inveniatur, cognitio angelica proprie habet rationem lucis et diei. Unde ipse vult quod primus dies sit cognitio angelica de primo opere divino. Et secundus dies sit cognitio angelica de opere divino secundo, et sic de aliis. Unde pro tanto nihil dicitur Deus fecisse, nisi in aliquo die, quia quamvis omnia simul creavit, nihil tamen creavit quod non impressit menti angelicae. Sed secundum alios sanctos per istos septem dies intelligitur ordo successivus productionis rerum.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum sint tantum quattuor coaequaeva scilicet caelum empyreum, materia, tempus et natura angelica.

Dicendum quod ista quattuor coaequaeva numerantur secundum opinionem aliorum sanctorum, qui ponunt materiam informem praecedens suam formationem tempore non tantum natura, sicut posuit Augustinus. Unde secundum eos tota natura primo instituta est quantum ad esse suum informe. Unde quae non possunt reduci ad unum informe principium, quod est materia ad invicem connumerantur in ipsa rerum productione. Substantia autem et accidens non reducuntur ad materiam, quia accidens non habet materiam partem sui sicut substantia. Tamen bene convenit in materia in quam. Et ideo illud accidens quod est denominatum substantiae, sicut extrinsecum connaturatur isti, sicut tempus, quod est mensura extrinseca. Corpus autem caeleste, quod non convenit in materia cum istis inferioribus, connumeratur illi informi materiae. Et quia etiam ipsae substantiae separatae carent materia, ideo connumerantur illi materiae informi in ipsa rerum creatione. Utrum autem ista informitas materiae sic praecesserit duratione quod materia non potuit esse sine forma in sequenti lectione forte quaeretur.